

MISAE

TOI

OLL

NIEN-



Hunc librum Musis  
suis inservientem  
iure possidet  
Theodor Mahlmann

Comparati mihi  
Witzeb.  
p. mat. 12. q.  
p. hinc. 4. q.  
Al. Joh. Reipol.  
1624.

CHRISTOLOGIAS SACRÆ

Disputatio Decima tertia

DE

COMMUNICATIO-

NE IDIOMATUM GENE-  
RATIM CONSIDERATA

Quam

Annunte Θεολογίας

SUB PRÆSIDIO

Dn. BALTHASARIS MEISNERI

S.S.Theol. D. & P.P.

*In privato Collegio examinandam*

*proponit*

NICOLAUS GALGOCINUS

Ungarus.

*Habebitur ad d. 28. Februarij, horis pomeridianis  
in minori Auditorio.*



WITTEBERGÆ,

Ex Officina JOHANNIS GORMANNI,

ANNO MDCCXXI.



DE COMMUNICATIONE  
GENERATIM CON-  
siderata.

THESIS I.

**D**isputationibus aliquot doctrina  
de duabus naturis in CHRISTO, earun-  
demque unione, & hypostatica communi-  
catione hactenus pertractata fuit, superest jam,  
ut effectus istius unionis declarentur, qui ex natu-  
rarum unione & arctissima  $\text{Ἐσχωρησις}$  fluunt.

II. Nam post factam Unionem jam longe aliter,  
cum naturarum in Persona CHRISTI, tum simul  
idiomatum & actionum denominationes, de uno  
illo  $\text{ὑποστατικῶν}$  enunciatur, quam si vel  $\text{λό-}$   
 $\text{γῶν}$  &  $\text{ἀσώθη}$  consideraretur, vel humana  
natura per se subsistens in propria personalitate  
pensitaretur.

III. Et quoniam nobis in Ecclesia ex præscripto  
loquendum est, teste Augustino, Non libe-  
re velut Philosophi, quæ liberis utuntur  
verbis; ut rem exprimamus, non involvamus,  
declaremus, ac omnia distinctè patefaciamus: ea-  
propter placet hac vice de illis, quæ in subsequenti-  
bus Disputationibus sæpius recurrent,  $\text{βραχέως}$   
disquirere. 1. De voce Communicationis,  
an retinenda cum sit  $\text{ἀγαφῶν}$ . 2.  
De terminis Abstracti & Concreti. 3. *Propositio.*  
Quid notet Communicationis vox. 4.

Quot sint Communicationis Idiomatum genera, num tria, vel quatuor. 5. Quis ordo inter hæc genera. Et tandem 6. Meditatio Practica, quod etiam tres *κοινωνίαι*, seu gradus ex Mystica nostri cum CHRISTO Unione fluant, adjicientur.

IV. DE I. Sacris quidem in literis phrasibus isthæc (communicatio idiomatum) *ὄντολεξεί*, sive quoad literam totidem syllabis expressa non reperitur, non tamen propterea statim ex circo sive agro Theologicarum Controversiarum releganda; quia sic à multis phrasibus, & loquendi formulis in Controversijs Theologicis ipsis quoq; adversarijs foret abstinendum, ut Liberi arbitrij, Sacramenti, Trinitatis, &c.

Occasio  
quâ Patres  
vocem, *κοινωνίας* re-  
tinuerunt.

V. Et certè gravi consilio retinuit hanc phrasin pia antiquitas, nimirum ad retegendam Nestorij *ἑτεροδοξίαν*, circa Persona CHRISTI unitatem, pro quâ per negationem Communicationis Idiomatum substituebat dualitatem; & Eutycheus Naturarum, proprietatumq; confusionem. Hic igitur contra horum virus pugnandum fuerat Patribus, & pretiosum à vili separandum: Ut igitur labore feliciori hoc præstarent, & rem in Scripturis fundatam penitus declararent, phrasin hanc adhibuerunt, adeoq; hoc medio pro veritate strenuè decertarunt.

VI. Quia vero hæctenus per integrum ferè seculum, cum dilectissima CHRISTI Ecclesia satis fu-

*nestum*

nestum sive ᾱ ᾱ ο̄ ῡ δ̄ ο̄ ῡ gens Calviniana duxit bel-  
lum, ipsamq; cum de aliis, tum de hoc presenti  
dogmate satis exercuit, non potuerunt non phrasin  
hanc, ceu per manus traditam Theologi exercita-  
tissimi retinere; isthuc autem sunt adducti non  
aliqua petulanti novitatis affectatione, sed  
ut elegantè ac gravitè loquitur August:  
loquendi necessitate, propter dolos & insidias  
Calvinianorum.

NB.

VII. Usurpandam itaq; hanc & nos censemus,  
sequentibus moti fundamentis, 1. Quia dogma  
hac voce, sive phrasi expressum, clarissima  
habet scripturarum testimonia. Quoties  
enim cumq; Sacrae literae, actiones & opera, quae  
Divinae Omnipotentiae sunt propria, Carni CHRIS-  
TI assignant, semper innuunt per illationem con-  
sequentiae bonae Carni CHRISTI omnipotentiae  
νο̄ ῡ ῡ ῑ ᾱ ο̄ ῡ factam esse: quam si negas, jam ipsam  
Scripturae veritatem inficiaris. Patet hoc ex omni-  
bus illis Divinis oraculis, quae ad tres illas classes  
communicationis Idiomatum revocantur: V. C.  
Phil. 2. v. 9. & 10. Cultus adorationis naturae ex-  
altatae adscribitur, quod divinum esse idioma sci-  
mus. Quomodo autem hoc fit? Non aliter nisi per  
factam hujus idiomatis Communicationem, adeoq;  
tacite Communicatio Idiomatum insinuatur.

Rationes  
affirmantis  
sententiae.

VIII. 2. Quia fucus Calvinianorum opti-  
me potest hac loquendi Ecclesiae usitata  
formula deprehendi. Quandoque enim lo-

quuntur cum Ecclesia, & tamen diversa  
fentiunt, & per verisimiles locutiones, ut  
inquit Nazianzenus: venena clanculum  
spargunt apud imperitos. Concedunt & ipsi  
Communicationem, si intelligas vocem, ut ipsis  
placet, de Unione: extreme vero detestantur, si pro  
Unionis consequente nobiscum sumas. Ast sicut  
Unio, sic & idiomatum Communicatio in scriptu-  
ris est fundata: ita igitur illa credi debet, ne  
hæc labefactetur: Illa usurpanda, sed neq; hæc  
supprimenda. Utendum itaque hac phrasi, ne ser-  
pat virus Calvinianum, quod fieret, nisi per distin-  
ctas locutiones speculum hoc venenatum Ecclesia  
supprimeret.

IX. 3. Quia nulla cogit nos necessitas,  
ut ab hac loquendi forma nobis caveamus: quæ si  
daretur; tum accideret hoc, vel quia hæc phrasi-  
rem Sacris literis contentam non sufficienter ex-  
primit; vel quia illam pluribus difficultatibus in-  
volvit. Ast horum inde nihil pullulat: retinenda  
igitur.

X. Accedit tandem 4. Patrum  $\sigma\omega\phi\omega\nu\iota\sigma\tau\alpha\iota$ ,  
qui ab hac loquendi forma nunquam abhorruerunt:  
duos hic pro multis appono.

Cyrillus in lib. de incarn. Unigen. Commu-  
nes facit  $\lambda\omicron\gamma\omega\varsigma$  cum carne sua Divinae suæ  
Majestatis operationes, ut possit etiam vivi-  
ficare mortuos, sanare infirmos.

Damascenus lib. 2. ortho. fid. c. 15. Pro-  
prias



prias glorificationes Divinitas corpori com-  
municat.

XI. DE II. Terminis Abstracti & Concre-  
ti aliter Philosophi, aliter item utuntur Theolo-  
gi, de illis hac vice dicere nil attinet. Videatur  
prim. pars Sob. Phil. p. 179. & seq. Excellen-  
tiss & clarissimi Dn. Præsidis, Præcepto-  
ris æternum venerandi. In Schola Theolo-  
gorum quia ab Adversarijs per abusum horum ter-  
minorum insidia struuntur maximæ, probe veni-  
unt cognoscendi.

XII. Concretum Theologis notat totam Per- Concretū  
sonam CHRISTI, subsistentem in duabus naturis. & Abstra-  
Abstractum autem alteram naturam, non qui- etum quæ  
dem extra unionem, sed in unione distinctè consi-  
deratam.

XIII. Ubi tamen probè observandum venit, quod  
à Theologis duplicia statuuntur & Concreta &  
Abstracta. Dantur enim cum Personæ & Natu-  
rarum Concreta, tum etiam Personæ & Natu-  
rarum Abstracta. De priori acceptione Con-  
creti jam dictum, quo refer voces Biblicas,  
quæ CHRISTO tribuuntur, ut sunt, Emma-  
nuel, Dominus, Mediator, Advocatus:  
quandoq; etiam terminus DEI & Hominis  
hanc implicant significationem, ut in dictis, Actor.  
20. v. 28. Iob. 3. v. 19.

XIV. Concreta Naturarum distinctè notant  
ipsas Naturas, non tamen seorsim, sed cum conno-

tatione Personalitatis, sive Hypostaseos, in qua  
utraque CHRISTI natura subsistit; adeoq; non  
tantum naturarum notatur essentia, sed simul  
ipsarum quoque connotatur hypostasis. Quam qui-  
dem acceptionem plenis buccis Calviniani perne-  
gant; ast negationis sufficientes nequeunt dare  
rationes.

Probatio  
sententia. XV. Pro nostra sententia unicum placet huc ap-  
ponere Argumentum.

Si datur Concretiva naturæ in Perso-  
na CHRISTI de natura Prædicatio, da-  
bitur quoq; Concretiva naturarum acce-  
ptio. Sed verum prius. E. Antecedens  
probo.

Prædicationes hæc: Homo est DEUS, &  
DEUS est homo, nec ipsi adversarij penitus  
rejiciunt, licet illis explanationem alienam affin-  
gunt, & assuunt. In his autem nec Abstractum e-  
nunciatur de Abstracto, nec Persona de Persona;  
sed Concretum Naturæ de Concreto Naturæ. Næ  
vocabula DEI & Hominis sunt Concreta, notan-  
tia & Naturarum essentiam, & simul connotan-  
tia earundem hypostasin sive personalitatem. At-  
qui hoc quid aliud est quam Naturarum Concreti-  
vam acceptionem comonstrare? id quod demon-  
strandum erat.

XVI. Abstracta Personæ coincidunt cum Con-  
cretis Naturæ, quibus una tantum connotatur na-  
tura cum Hypostasi sua.

Abstra-

Abstractum autem Nature nudam essenti-  
am sive quidditatem, absq; subsistentiæ signifi-  
catione connotat, ut, Humanitas, Divinitas, &c.

XVII. Fluit insuper ex hac Concreti & Abstra-  
cti acceptione, illa Theologorum loquendi formulæ:  
Assumpta Natura, quatenus cum Filio DEI  
est unita, in Concreto consideranda;  
Quando vero in se & per se ratione pro-  
prietatum naturalium, tum in abstracto,  
quorum usus est maximus, partim ut natura dis-  
cernatur à natura, partim ut ratio proprietatum  
habeatur distincta, adeoq; qua per essentiam, qua  
item cui natura donata sint per gratiam declare-  
tur.

XIIX. DE III. Communicatio Idiomatum  
hactenus gravi consilio ab Orthodoxis Theologis u-  
surpata, nil aliud est, quam modus dicendi  
propria per distinctas scripturæ formulas  
de CHRISTO: sive, est Classis prædicatio-  
num, continens ea scripturarum testimonia, qui-  
bus declaratur qualis sit in CHRISTO Idiomatum  
humanorum appropriatio, quæ sit totius Personæ  
per utramq; Naturam operatio, & quæ item As-  
sumptæ Naturæ glorificatio.

XIX. Et hic modus loquendi si vel indistinctè  
proponeretur, vel plane ex agro Theologicarum  
Controversiarum eliminaretur, tum eo ipso indi-  
stincta confusio, & confusions indistinctio, atque  
sic mera caligo loquendi de CHRISTO introduce-  
retur. Quis vero horum foret finis? Et quis dare-

A S tur

tur eruditorum tam ingentem Prædicationum Bibli-  
carum seriem confuse propositam, qui vel distin-  
cte, intricatis Disputationibus involutam, perci-  
peret; vel alijs suâ fidelitate proponere posset.

XX. Grave certe consilium hac de re nobis reli-  
quit D. Chemnit, in lib. de duabus Nat. in  
Christ. m.p. 61. Sed ego, inquit, de mea sim-  
plicitate fateor, quod non possim me, ex  
intricatis de hac doctrina disputationibus,  
evolvere, nisi adhibita aliqua, quam res  
ipsa monstrat, & præbet, distinctione. Mo-  
dus igitur hic loquendi, & summe est necessarius,  
ideoq; in Scholis Theologorum retinendus, & ad  
ea quæ de Christo enunciantur distinctè proponen-  
da, aptus, adeoq; summa diligentia addiscendus,  
& necessitate requirente, adhibendus.

XXI. DE IV. Qui accuratius hanc doctrinam  
de Communicatione Idiomatum tractarunt, de-  
prehenderunt hætenus in scripturis ejusmodi lo-  
quendi formulas de CHRISTO, ex quibus di-  
versos modos dari Communicationis Idiomatum,  
certo colligi potest. Nam initio occurrunt ejusmo-  
di Propositiones, in quibus utriusq; Naturæ Idio-  
mata enunciantur de tota Persona, secundum al-  
terutram Naturam, quales habentur, Ioan 8. v. 56.  
I. Cor. 10. v. 9. Matth. 22. v. 42.

XXII. Deinde inveniuntur & hujusmodi, quæ  
commonstrant, Filium DEI omnia Idioma-  
ta Humanitatis, assumendo illam sibi reapse approprias-  
se: Hinc fit, ut de Filio DEI ea enuncientur, quæ  
Huma-

Humanitatis sunt propria, ut, Act. 20. v. 28. ad Gal.  
2. v. 20. Rom. 8. v. 32. 1. Ioan. 1. v. 1.

XXIII. Tertio dantur & huiusmodi scripturæ  
Propositiones, quæ affirmant Christum in opere Re-  
demptionis, non secundum unam, sed utramq; Na-  
turam unum produxisse  $\delta\pi\omega\tau\acute{\epsilon}\lambda\epsilon\sigma\mu\epsilon\alpha$  in quo una  
Natura operatur cum communicatione alterius,  
qualibus completus est codex Biblicus, ut Gen. 3. v.  
15. Luc. 9. v. 56. 1. ad Timoth. 3. v. 5. & c.

XXIV. Deniq; quarto occurrunt & huiusmodi,  
quæ ostendunt Divinæ Naturæ proprietates in Per-  
sona Christi Humanitati propter arctissimam Un-  
ionem esse communicatas.

XXV. Quibus omnibus moti, nonnulli ex Ortho-  
doxis Theologis, de quibus videri potest D. Gerlach:  
in disput. de commun. Idiom. Anno 1695. & Anno  
1602. quatuor classes Idiomatum, sive quatuor ge-  
nera constituerunt; quæ ipsorum diligentia non  
immerito commendanda.

XXVI. Verum quia Classis secundæ Prædicatio-  
nes optime possunt explicari & tradi in primo ge-  
nere communicationis idiomatum, propterea The-  
ologi has duas Classes in unum Genus retulerunt.  
Et quoniam liber Concordiæ  $\tau\epsilon\iota\chi\omicron\lambda\omicron\mu\iota\alpha$  illam  
Idiomatum retinuit, qui nobis & res & modum  
loquendi, & ordinem in his tradit, à ternario illo  
in Ecclesiis recepto, nobis recedere est religio.

XXVII. Constanter igitur tria Communicationis  
Idiomatum genera numeramus, contra turbam  
Zyvinglio-Calvin. quam  $\tau\epsilon\iota\chi\omicron\lambda\omicron\mu\iota\alpha$  ita probos  
Datur

Datur triplex Classis propositionum in Sacris literis, loquendi de CHRISTO, ejusque proprietatibus post factam Unionem. Igitur & triplex Genus Communicationis Idiomatum, quod ex hac Unionem profluit. Antecedens probatum jam est. Consequens igitur non negabitur.

Particule  
Distinctivæ

Regula  
Vigilij.

Regula  
Theol.

XXVIII. Porro isthæc genera Communicationis Idiomatum à se invicem distinguuntur, quo ostenditur non unum nec duo, sed tria, sive duobus plura dari Idiomatum genera. In primo enim genere Naturarum proprietates in sese distinctè considerantur, & de tota Persona enunciatur secundum eam Naturam, cui proprietas primo competit, quæ Predicatio fit in Concreto: & hic quandoque adhibentur particule Distinctivæ, quæ sunt ἄνωθεν & ὑποῦσιν, ostendentes, cuius Naturæ Idioma, quod de tota Persona enunciatur fit per essentiam competens, ut in dictis, 1. Petr. 4. v. 1. ad Rom. 1. v. 3. ad Rom. 9. v. 5. 1. Pet. 5. v. 18. Et ad hanc Distinctionem referri potest illa Vigilij Regula: Propria Naturarum fiunt communia Personæ.

XXIX. In secundo autem genere consideratur concursus operationum ad unum ὑποτέλεσμα utriusque naturæ; ubi incarnationis causa finalis potissimum elucescit: Ideo enim duarum Naturarum Unio est facta, ut opus Redemptionis & Salvationis in utraque cum utraque & per utramque CHRISTI Naturam perficeretur, quo pertinet illa Theologorum Regula: Nomina officia competunt

tunt Personæ secundum utramq; Naturam.  
XXX. In tertio deniq; genere ostenditur, quæ  
Natura propter Unionem Hypostaticam, in cuius  
participationem devenit, sit ornata gloria, poten-  
tia, & majestate, alijsq; cœlestibus innumerabili-  
bus, singularibus, & Divinis prærogativis: quibus  
omnibus dotata esse Humanam Naturam suo lo-  
co ostendetur: quia Assumpti non Assumen-  
tis est profectio, uti loquitur Leo Epist. 11. Quæ  
omnia manifesto sunt inditio, quod quia nec primi  
generis Prædicationes referri possunt ad secundum,  
nec secundi ad tertium, aut vice versa, sed distin-  
cte veniunt considerandæ, & tractandæ, dari plu-  
ra Communicationis Idiomatum genera, quam  
Adversarij volunt.

XXXI. DE V. Hactenus in Scholis Theologo-  
rum maxima ex parte genera ista sic enumerata  
junt, ut Ἰδιοπoιcæ ad primum genus, κoιvoπoιcæ  
ad secundum; μετeπoιcæ ad tertium sic relata:  
quem ordinem cum liber Concordiæ, tum per-  
multi Orthodoxi Theologi usurpant & usurpa-  
runt, velut ad docendum maxime aptum & faci-  
lem.

XXXII. Sunt tamen nonnulli qui priscum hunc  
ordinem invertunt, & tertium genus secundo præ-  
ponunt, hac moti ratione: Effectus suam sem-  
per antecedit causam. Ast Communica-  
tio officij ad opus Redemptionis peragen-  
dum in Persona CHRISTI, respectu com-  
municatæ

municatæ Majestatis habet sese ad modum effectus. Ergo. &c.

XXXIII. Neq̄ tamen illi male faciunt, qui receptam illam numerandi seriem antiquam retinent, & Communicationem Officij præponunt Communicationi Majestatis, quia sic & Concordie vestigia sequuntur, & doctrine ordinem observant. Nam de *κωνωτικῆ* Majestatis intricatissima nobis est cum Calvinianis Adversarijs pugna, ideoq̄, à facilioribus & minus controversis, ad difficiliora & magis intricata rectè progredimur.

XXXIV. Interim lis hæc, ut forte opinantur Adversarij, non est ad instar fratrum Cadmæorum; neq̄, est *περὶ γὰρ* & sive rerum, sed *περὶ ἕωσ*, sive ordinis, quæ unica adhibita distinctione salvari potest.

XXXV. Distinguendum enim est inter ordinem Naturæ, & Doctrinæ. Illum sequuntur ij, qui Communicationem Majestatis præponunt Communicationi Officij: hunc isti qui postponunt, quos in subsequentijs & ipsi lubentes sequemur, ipsorumq̄, semitæ insistemus.

XXXVI. DE VI. Naturarum in Christo Unio earundemq̄, ac proprietatum realissima Communicatio, & nostri cum Christo spirituales Unionem, & realissimam proprietatum communicationem importat; quæ prolixius declarantur apud D. Philip. Nicolai in l. de Mysterio Omnipr. cap. 4. & 6. e quibus quedam huc apponere placet.



XXXVII. Sicuti Filius DEI Humanam Naturam assumendo, omnes ejusdem proprietates per ἰδιότητα sibi appropriavit: ita postquam nos (a) sanguine pretioso redemit Servator noster IESUS CHRISTUS in nobis Spiritualiter habitans, ipsorum afflictiones sibi vendicat, ipsorum pericula sibi tribuit, & omnia illa, quæ nobis illi per Fidem adherescentibus obveniunt, imputat; patet hoc ex dictis Scripturæ Zachar. 2. v. 8. Matth. 10. v. 40. Luc. 10. v. 16. Matth. 25. v. 35. & sequen.

(a) 1. Pet. 1. v. 19.

XXXIIX. Maxime autem hujus loci est, quod Christus peccata nostra ad se transfert, & vicissim suam justitiam, innocentiam & sanctitatem mediante Fide nobis donat, imputat, & communicat. Nam uti scite & graviter loquitur B. Lutherus: Cum peccata, mors & maledictio nostra in DEUM transferuntur, tum hæc nostra mala ipsius fiunt propria, & sua bona fiunt nostra bona.

In Cōment: ad Gal. c. 7.

XXXIX. Κοινωνία consistit in DEI & Homi- nis πνευμαλικῶς copulorum operatione com- muni. In quibus enim Christus per fidem habitat, illos Reges & Sacerdotes facit, Apoc. 5. v. v. 10. (a) ponit Spiritum suum in medio ipsorum facitq; ut in præceptis suis ambulent: (e) hinc fiunt genus electum, Regale Sacerdotium, gens sancta, & c. (i) Iudices mundi & Angelorum: (o) quiq; præbent corpora sua hostiam Viventem sanctam, acceptam, hoc est, rationalem cultum suum. Quæ opera non sunt meri Homini, aut meri Dei: sed operatur

(a) Ezech. 36. v. 27.  
(e) 1. Pet. 2. 9.  
(i) 1. Cor. 6 v. 3.  
(o) Rom. 12. v. 1.

DEUS.


DEUS, cooperatur fidelis Christianus,  
gubernat Spiritus Sanctus, & gubernantis  
ductum Homo sequitur. Rom. 4. v. 14.


(a) 2. Pet. 1. v. 4.  
(e) 1. Cor. 3.  
(i) 1. Ioh. 5. v. 4.  
(o) 1. Pet. 5. v. 8. & 9.  
Matth. 17.  
2. Cor. 10.

XI. Μετεπειτα tandem ex Unione nostri cum  
Christo importat dona, hyperphysica, Divina sive  
Cœlestia: tale enim hoc nostri cum Christo est vin-  
culum, ut postquam (a) Divina Natura facti su-  
mus consortes, DEUS nos non relinquat in mere  
naturalibus, sed divina sua efficacitate operatur in  
nobis multa cœlestia, & supernaturalia, gratuita  
& spiritalia hinc (e) Fides nostra redditur sal-  
vifica: (i) vincimus mundum (o) profligamus si-  
ve abigimus resistendo Sathanam; transponimus  
montes tentationum: Demolimus consilia Demo-  
num &c. quæ omnia ita se habent, ut licet sint  
Dei solius hæc propria; Non tamen separatim De-  
us hæc facit, sed in homine, cum homine, & per  
hominem. Cui sit honor, virtus & gloria,  
Patri, Filio & Spiritui Sancto per  
cuncta secula, AMEN.

FINIS.







Farbkarte #13

B.I.G.



DOLOGIAS SACRÆ  
 tio Decima tertia  
 DE  
**LUNICATIO.**  
 MATUM GENE-  
 CONSIDERATA  
*Quam*  
 uente *Γεωργίου*  
 B PRÆSIDIO  
**ASARIS MEISNERI**  
 heol. D. & P. P.  
*Collegio examinandam*  
*proponit*  
**S GALGOCINUS**  
 Ingarus.  
*Februarij, boris pomeridianis*  
*minori Auditorio.*  
 S(†)S  
 TEBERGÆ,  
**OHANNIS GORMANNI,**  
 D c l o c x x i.

